3. Dico 3tiò: Veniens ex patriâ, ubi speciale Statutum fuit, in terram, ubi jus commune viget, statim se huic conformare tenetur. Engel. *loc. cit. n.* 28. *&* 34. Plures similes possent moveri quæstiones, ut, si in loco domicilii sit speciale festum, an inde horâ 8vâ, nonâ, vel decimâ vel duodecimâ migraturus aliò, ubi hoc festum non est, priùs in loco domicilii, antequam iter auspicetur, Missam audire debeat? item, si in die suscipiendi itineris sit jejunium, vel abstinentia in loco domicilii, unde eâdem die intendet aliò concedere, an jejunare, vel abstinere teneatur, donec excesserit territorium sui domicilii? tales inquam & plures similes solent moveri quæstiones; sed quia merè Theologicæ sunt, & ad forum internum pertinent; eapropter ad Theologos remitto.

Pro morali Thesium de *Conflictu Statutorum* Epilogo, Hussæus Vates in Lege Veteri bene vitam hominis super terram indigitat ac definit militiam; in Lege Novâ magnus Præco Gentium adstipulans, sese certamen bonum certavisse, ideóque repositam sibi esse Coronam justitiæ, sanctè gloriatur: cùm proinde nemo ullus à Statuto confligendi æquè, ac moriendi fit eximius, si spem triumphandi conceperit; didacticum subjicio

DVpleX VIatorI CabaLVM:

Lis	modò;	*Conflictu*	pugiles	ornemus	arenam:
119.	134.	431.	391.	495.	157.

Summa 1727.

Justitiæ	*Statam*	profers	Themis	eja	Coronam!
523.	322.	371.	242.	15.	254.

Summa 1727.

COROLLARIUM

I.

STatutis Principum, vel Magistratuum Laicorum obligantur non solùm statuentium subditi, sed & forenses, advenæ: Et quidem 1mò: ratione vectigalium, pedagiorum, tributorum. 2dò: ratione ordinis processûs in loco statuentis prosequendi. 3tiò: Solemnitatibus ad contractum in loco, ubi celebratur, requisitis, quoad bona in territorio statuentis sita & onera bonis imposita.

II.

In materiâ communi Laicis & Clericis, etiam Clerici Statutis Laicorum Principum ligantur indirectè nimitum, Engel. *de Constit. n.* 35. *vers. dim.* Pyring. *eodem tit. n.* 79. *& seq.* Unde infertur, quòd Clerici in Ducatu Jul. & Mont. debeant testari adhibitis notario, vel parocho, insupérque quatuor testibus, ut requirit Statut. Jul. in testamentis, referente Voetz. *in hist. Juliac. n.* 41.

III.

Quæstio difficilis. An bona ab ante tributaria, postea translata vel devoluta ad Ecclesias, Monasteria, vel Clericos transeant cum hoc onere, vel post talem transitum deinceps evadant libera? fieri liberas defendit Pyring. *extra de immunit. Eccles. n.* 75. *& seqq.* Contrariam tamen sententiam probabilem dicit Engel. *eod. tit. n.* 26. *in fine*, quam absolutè tenet Gail. *lib.* 2. *obs.* 32. *n.* 7. Quam utpote ex Doctorum Authoritate probabilem, & in multis locis usu receptam erroris damnare non audet ipse Pyring, etsi de cætero acerrimus adversariæ sententiæ defensor & propugnator.

IV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

IV.

Clerici tenentur ad onera singulorum singularia, hinc sicuti tenentur singuli reficere viam ante domum suam, *l. fin. ff. de via public. & itin. reficiend.* Ita & Clerici obligantur, utì post Abbatem rectè tradunt. Engel. *de immunit. Eccles. n.* 26. Pyring. *eodem n.* 77. quam sententiam probat, limitatè tamen, ut Clerici tunc ab Ecclesiasticis cogi debeant, P. Lacroix *lib.* 4. *de immunit. Cleric. n.* 1382.

V.

Ad reficiendas vias publicas, pontes & fontes, aut muros Civitatis vel ad comparandam annonam pro tempore, quo imminens obsidio timetur, multi apud Pyring. *d. n.* 77. tenent Clericos debere contribuere; negativam tamen Theologorum & Canonistarum hodie communiorem defendunt Pyring. *l. cit.* P. Lacro. *l. cit.* dicens, non teneri Clericos contribuere ad illa, quæ immediatè & directè cedunt in utilitatem publicam: mediatè verò tantùm ad utilitatem Clericorum. Non obstante, quòd eâ refectione viarum & pontium Clerici quòque commodum sentiant, & hinc videatur dicendum, quòd & onus contributionis ratione commodi subire debeant; quia in compensationem horum commodorum Clerici habent onus, quòd administrent spiritualia, & hinc intrat dictum Apostoli: *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus.* Pyring. *extra de const. n.* 83. & 85.

VI.

Quòd si tamen necessitas vel communis utilitas non respiciat Clericos remote, & in consequentiam, quatenus sunt pars & membra reipublicæ, sed directè & immediatè & æquè principaliter, ut si vermes depopulentur agros, vel aquæ sint inundaturæ prædia, aut agri debeant irrigari per aquæductum. Tunc Ecclesia & Clerici debent contribuere, non tamen cogendi, nisi per Superiorem Ecclesiasticum. Pyring. *de immunit. Eccles. n.* 29.

VII.

Si tempore penuriæ Statutum à Laico sit Magistratu latum, ut frumenta certo taxato pretio vendantur, eo etiam Clerici ligantur quoad vim directivam; & si Judex Ecclesiasticus Clericos nollet cogere, vel ad eum non daretur recursus, tunc Laici possent titulo defendendi vitam pretio statuto arripere sibi necessaria, P. Lacroix *l. cit. in fin.*

VIII.

Clerici immunes sunt à vectigalibus & teloniis: Item gabellis & accisiis pro vino, carne, & aliis victualibus, non tamen ultrà, Engel. *de immunit. Eccles. n.* 29. Nam quod ultra erit ad quæstum Clericis prohibitum *tot. tit.* ne Clerici vel Monachi.

IX.

Quæritur, an Statutum Laicorum prohibens bona stabilia deferri ad Ecclesias, Monasteria vel Clericos, item ut Clerici non succedant nisi in usufructu, Justum sit? R. originaliter de se quidem non valere, interim defendi posse, tum ob publicam necessitatem, tum ex tacitâ Pontificis conniventiâ, & sic viget Stat. in hac urbe; ne immobilia transferantur in manus mortuas, Monasteria vel Clericos, *vid. Stat. Col. fol.* 64. *art.* 45. *& seq.* Ita pariter concordata inter Ducem Jul. & Mont. & Marchionem Brandenburgicum, ut in terris ipsorum jurisdictioni subjectis bona non transferantur ad manus mortuas, id est; Monasteria & Clericos: Item Statutum Juliac. *in ord. C.* 93. & 97. ut Clerici tantùm in immobilibus succedant usufructu tenus.

AppLaV-